Żyszkiewicz Matthiae: Quaestio Elementa sublunaria a Philosopho definita, quod sint corpora simplicia, in quae alia, quibus insunt, resolvuntur.

QVÆSTIO
IN ALMA ACADEMIA CRACOVIENSI,

Permissu

Illustris, Magnifici, & Adm. Rndi. Dni.

D. STANISLAI ROZYCKI
Vtriusq; Iuris Doctoris & Professoris,
Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium CANCELLARII,
Dictæ Academiæ
RECTORIS VIGILANTISSIMI.
Proposita ad disputandum.

A

M. MATTHIA ZYSZKIEWICZ
Collega Minore, & Contubernij Iagelloniani Seniore.

Lectorio DD. Theologorum.

Mensis Ianuarij Die 4. Hora 15.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S.R.M. Typograph.
Anno Domini 1650.

QVÆSTIO.

VElementa ſublunaria à Philoſopho definita, quòd ſint corpora ſimplicia, in quæ alia quibus inſunt reſoluuntur, ipſa verò in alia ſpecie diſtincta irreſolubilia ſunt, ſingula duas ex primis quatuor qualitatibus ſibi vendicent, tanquam ſuas Accidentales, Poſitiuas, Actiuas, & à rebus ipſis diſtinctas formas: inſintq́; in mixto virtualiter nec ne?

CONCLVSIO I.

Rectè à Philoſopho 3. cœli tex. 31. Elementa definiuntur, cùm dicitur quòd Elementum ſit corpus, in quod alia corpora reſolui poſſunt, in quibus actu aut potentia ineſt, cùm tamen ipſum in alia ſpecie diuerſa ſit irreſolubile.

COROLLARIA.

I. *Definitio Elementi, Elementum eſt, quod vnâ tantùm ex primis qualitatibus conſtat, non adæquat naturam definiti.*

II. Ele-

II. Elementa differunt à materiâ & Forma.

III. Elementa solùm diuiduntur in partes integrantes eiusdem rationis.

IV. Quòd si diuiderentur in corpora specie diuersa non essent prima, nec Elementa.

V. Elementa componuntur non tantùm ex partibus Metaphysicis, sed etiam materiâ Physica & Forma Substantiali.

CONCLVSIO II.

Vnum quodq; Elementum vendicat sibi vnam qualitatem ex primis, in summo, alteram infrà summum: ita vt ignis sit calidus in summo siccus infrà summum: Aër summè humidus, calidus in remisso: Aqua summè frigida, humida infrà summum. Terra deniq; sicca in summo, frigida infrà summum.

COROLLARIA.

I. Nullum Elementum habet omnes quatuor qualitates, neq; vnam solùm, neq; tres.

II. Aër suis quoq; qualitatibus est præditus, & humiditate potissimùm maiori quàm aqua.

III. Ignis inter Elementa determinat sibi maximam raritatem in sua naturali dispositione.

IV. Aqua plus humectat quàm aër, idq; ratione densitatis quæ adiuuat Actiuitatem illius.

V. Qualitates Elementorum conueniunt illis ab intrinseco, non verò à cœlo imprimuntur.

CONCLVSIO III.

Quatuor primæ Qualitates sunt Elementorum formæ Accidentales omnes Positiuæ, Actiuæ, & à rebus ipsis distinctæ.

C O R O L L A R I A.

I. Qualitates primæ in Elementis non sunt formæ Substantiales: mixtorum verò (vt quidam sensere) Accidentales.

II. Frigus & siccitas non sunt priuationes suorum contrariorum, sicut & humiditas non est substantia rerum fluidarum.

III. Qualitates Elementorum terminant alterationem non generationem.

IV. Formæ Substantiales Elementorum ignotæ nobis sunt, & benè circumscribuntur per qualitates primas.

V. Calor inter qualitates primas est maximè Actiuus, frigus deinde, postea humiditas, & vltimò tandem ipsa siccitas.

CONCLVSIO IV.

Elementa manent in mixto virtualiter.

C O R O L L A R I A.

I. Forma Substantialis mixti habet quandam affinitatem cum formis Elementorum.

II. Nullatenus Elementa sunt formaliter in mixto.

III. Formæ Elementorum non sunt mediæ inter Substantias & Accidentia.

IV. Elementum aliquod ideò prædominari dicitur in mixto, quia forma mixti magis assimilatur formæ illius, quàm alterius.

V. Elementa non ita manent virtualiter in mixto, vt resultet vna quinta qualitas ex primis quatuor.